



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

1. De Euangelio Dominicæ, De secessu, ieiunio & tentatione Christi, matt
4.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

Electorum necessitates, ærumnas, tentationesque, quas semper ob oculos habuit, æterno Patri commendans.

O quos, & quàm sublimes amoris, zeli diuini honoris, resignationis, gratitudinis, reuerentiæ, submissionis erga æternum Patrem! quot & quàm ardentes commiserationis & dilectionis erga homines istic frequentauit, imò continuauit affectus! quàm inflammata desideria diuinæ Patris gloriæ propagandæ, & salutis omnium hominum promouendæ elicuerit! quàm amare omnium peccata defleuerit! quàm optârît & exorârît à Patre omnibus Electis eximiam perfectionem cum auxilijs ad eam consequendam requisitis! atque hæc omnia præstitit in hunc finem, vt sic peccata nostra occasione nimix cum hominibus familiaritatis contracta deleteret, ad amorem secessus spiritualis & crebræ renouationis spiritûs, seu recollectionis subinde instituendæ, maximè ante opus magni momenti auspiciandum, inuitaret; vberemq; gratiam proficendi in deuotione & familiaritate cum Deo omniq; sanctitate impetraret, ex amore maioris nostræ perfectionis & beatitudinis. En quid amore tui faciat.

aman-

amantissimas Magister tuus, & Saluator, & te illum redamare; & grato promptoque animo æmulari adhuc pigeat?

II. Christus verus legislator ibidem 40 diebus ac noctibus ieiunavit, ab omni prorsus cibo abstinens instar Moyfis, & Eliæ in oratione pernoctans, aut humi cubans, idque ex amore nostræ salutis, ut sic A læ, omniumque peccata, maximè gulæ, & nimiam corporis indulgentiam commissa expiaret; ad ieiunia, abstinentias, aliosque corporis afflictiones assumendas inciraret; ut gratiam ad id necessariam impetraret. Sic ille in se castigat peccata aliena, tu cur detrectes maceratione corporis expiare propria?

III. Triplici tentatione, gulæ, vanæ gloriæ, avaritiæ & ambitionis, simulque idololatriæ se tentari, & transferri è deserto in pinnaculum templi, & montem excelsum permisit, ex infinita dignatione, & dilectione erga Electos suos: ut eos ad tentationes quasuis perferendas superandasque animaret; ut robur ijs easdem eludendi, & generosè vincendi impetraret; ut, quo modo ijs resistendum, exemplo suo doceret, videlicet non curiosè auscultando, &

exa-

examinando diabolicas suggestiones, nec trepidando ad earum impetum, sed statim retundendo, vel aliqua veritate e SS. Scriptura deprompta, vel ad contrarium virtutis actum se resolvendo, vel reipsâ eliciendo, vel assensum negando, vel ad alia seria se applicando. Agnosce Christi miram dignationem, qui per omnia nobis voluit similis fieri absque peccato, & imitari constitue fretus eius gratiâ, & Angelorum assistentia, qui Christo victori applauserunt, & ministrarunt.

De Affectibus in Dominicâ passione meditanda maxime frequentandis. II.

I. **C**onsidera quàm multiplices & eximij omnibus perfectionis vijs accommodari possint in expendendis Dominicæ passionis mysterijs excitari affectus Viæ quidem purgatiuæ compassionis, contritionis, zeli in puritate animæ proficiendi, peccata commissa expiandi & compensandi, committenda præcauendi, vitiosos habitus hos vel illos extirpandi, passionem effrenas has vel illas edomandi, tenta-